# ORGANON REIPVBLICÆ.

LONDINI,
Ex officina Typographica *Ricardi Bradoci*.

1605.

# AVGVSTISSIMO ILLVS-
# TRISSIMOQVE PRINCIPI,
## *Iacobo*, Dei gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ, *Regi, fidei defensori, &c.*

*Hacit virtus tua (Rex potentissime) & Reipub. cura, vt audeam hæc Miscellanea Maiestati tuæ (non minùs proprijs quàm Regijs virtutibus splendidæ) addicere. Cui enim potiùs offerentur istiusmodi opuscula, quàm ei qui Reipublicæ summo gubernaculo præsidet, rerúmque & ad Ecclesiasticam & Ciuilem administrationem pertinentium curam profitetur? Versatur enim hic libellus circa Sacra, Imperia, Leges, Virtutes, Bella, Pacem, Artes, &c. Quarum rerum excellentia decoratus, quasi Sidus & Sol solus, cæteris Principibus (qui orbem Christianum regunt) claritudine & effectis præluces. Ita etenim*

Politicum Regnorum tuorum ſtatum ſumma perſpicientia intueris, vt nihil in te deſideretur, quod ad Legum, Iuris, Iuſtitiæ, & Æquitatis regulã requiratur. Ita etiam Religioni ſinceræ veræq; pietati conſulis, vt (quantum in optimi Principis poteſtate ſitum eſt) omnem corruptæ ſuperſtitionis maculam indè ſtudeas eluere. Ita verò domi foriſq; pacem foues, vt, quamuis Ditionis tuæ potentia ac viribus neminem formides, cum omnibus tamen inuiolatam eam conſeruare cupias. Quæ omnia, vt Regem Magnæ Britanniæ diuinitùs datum declarent: ſic etiã diuinæ benignitatis ſpecimen præbere videantur: nempe Deum, perpetuæ miſericordiæ ſuæ præſidio, perilluſtri amplitudini tuæ affuturum; qui te, ad tantũ Imperium tam prudenter támq; regiè adminiſtrandum, tanquam è ſinu ſuo Sobolem, emiſerit. Quæ ſingularia, vt ſubditos tuos omnes ad tui obedientiam exſuſcitant: ita me, ad hoc munuſculum ſacratiſſimo Nomini tuo inſcribendum, alacriorem faciunt. Quomodò enim, de tua clementia, erga hominem ſincerè officioſum, dubitare potui? qui neminem eorum, qui ad te accedunt, non hilariorem tuæq; Maieſtatis amantiorem ſoles dimittere. Omnipotens deus (cui hanc tuam præſtantiam totus debes, cuiq; nos ſubditi tui, tam præclarum præſtantémq; Regem, toti debemus) diù te nobis ſuperſtitem & incolumem tueatur: adeóq; tueatur, vt honoratiſſimam dominam Reginam, longè nobiliſſimum viuidæq; ſpei Principem, reliquámq; regiæ tuæ ſtirpis ſeriem, vitæ fælicitatiſq; tuæ comites intueare. Poſtremò, Rex optime, ſupplex velim perſentiſcas, nihil mihi antiquius vel optatius vnquam futurum, quàm obſequio, vſui, & nutui Maieſtatis tuæ, quacunque ratione potero, inſeruire.

Sacratiſſimæ Maieſtati obſequentiſſimus,
& humillimus ſeruulus,

I. B.


In formando studio, duo spectanda sunt:
1. Quod studium eligendum. Eligitur autem vel ex
Necessitate { Rerum, si angustæ sint: Naturæ, si obtusior fuerit acies ingenij.
Libera voluntate: cùm vel
Cõmoda { Priuata, Publica: } vt, qui
Sanctiones sacras,
Ius { ciuile, commune,
Medicinæ artem,
Disputationes academicas,
Et alia id genus studia
} sectentur.
Animi delectationẽ: vt, qui Philosophiæ se dedũt; cuius ope possint
Facultatum copia sit:
Fœlicior ingenij vis tribuitur.
Ex his autem, quidam sibi proponunt
1. De Rebus rectè sentire. Hæc autem dicitur
2. Quæ sentiunt, cõmodè eloqui. Vide posteà. A a
1. Rationalis viz. { Grammatica, bene loquendi Rhetorica, bene dicendi Dialectica, bene differendi } Ars
2. Moralis: viz. { Ethica, Politica, Oeconomica.
Hæc autem discenda, ex { Sacris præcipuè literis, errore omni vacuis: Profanis authoribus: vt, { Aristotle, Cicerone, Seneca, Cornelio Tacito, Historicis, Poetis, Oratoribus, & cæteris, } Plus minúsue erroris hâc & illâc habẽtibus.
3. Naturalis. Hîc considerãda { 1. Vtilitas. Conducit enim ad { 1. Animum sordibus purgandum: 2. Terrena contemnenda: 3. Caducã rerũ omnium cõditionẽ ostẽdendã. 4. Animæ curam augendam.
2. Obiecta: viz. { Elementa, Terræ, Maria, Montes, Fluuij. Gentium { mores, termini, conditiones & imperia { accepta, prolata. Lapidum Arborum Herbarum Animantium } vires. — { historia, generatio, partes.
3. Cognatæ Artes: viz. { Medicina, Rerum rusticarum tractationes, Res militaris, Architectura, Pingendi & fingendi ratio, &c.
2. Quomodo in eo perseuerãdum. Vide postea Bb.

**A.a.a.**
**Cõmodè eloquendi cura duplex est.**

1. vt rectè loquare: quod fit
   1. Legendo {meliores & emendatos} authores.
   2. Opera eorum, verbis significantibus, vernacula lingua reddendo.
   3. Patrio sermone, quicquid sumus scripturi, rectissimè intra animum nostrum formando.
   4. Latinis propriè, puréque id significantibus explicando.
   5. Operam dando, vt quicquid sis scripturus, quàm purissimè, latinéque inter initia eloquare.
2. vt ornatè dicas: quod nunquam continget, nisi sana & integra sit oratio.

**B.b.a.**
**De studij electione dictũ est Sequitur ratio: perseuerandi in studio. Hoc autem fit, tria obseruando:**

1. Rectè percipiendo quod discimus. Hoc opus diligentis lectionis est: quæ versatur
   1. In planè intelligendo rem quæ traditur.
   2. In penitus perspiciendo verborum — {vim, proprietatem, structuram, ornatum.}
   3. In notando sententiarum {decorem, pondus.}
   4. In considerando vim — {explicandi & proferendi} res, verbis.
   5. In perseuerando, etiamsi locus obscurior & ignotus nobis occurrat; donec tempus, homo, locus, vel lectio nodum soluat.
2. Fideliter, quod percipimus continendo. Hoc opus fidæ Memoriæ: Quæ partim
   - Constat natura, Cùm dicẽdum sit, caueamus ne {ordine, numero} destituamur.
   - Iuvatur Arte: viz. Si
     - Vsus creber adhibeatur.
     - Negligentia & incuria amoueatur.
     - Quàm intentissima cura, quæ discimus, complectamur.
     - Quàm creberrimè ab animo nostro reposcamus.
     - Animus vacuus, & aliarum curarum turba ociosus, fuerit.
3. Ex istis aliquid pariendo, excudendóque: Quod opus est assiduæ exercitationis. Hic locus cõplectitur duo:
   1. In promptu habenda, quæ discimus.
   2. Ex ijs, quæ accepimus, nobis ipsis inuenienda, & conficienda aliqua. Hîc tria necessaria:
      1. vt
         - Certa capita habeamus: vt sunt {Virtus, vitium: Vita, Mors: Doctrina, Ineruditio: Beneuolentia, Odium: Et reliqua id genus.}
         - Quæcunque discimus ad ea capita rectè dirigantur.

         Notandum autem hîc est, quòd nonnunquam vnum exemplum vel sententia in plura capita conferri possit, iuxta emphasim verborum.
      2. Vt, ex ijs quæ discimus, diligenter pensimque conferamus verba inter se, & latiore quodam tractu explicemus.
      3. Vt ista per omnes Dialecticæ locos deducamus: vnde ingens manabit copia, & ad — {dicendum, inueniendúmque.}

Imperia perfecta tria. { Basilia, viz. Monarchia & imperium regale: quale apud nos hodie laudatum & beatissimum.
Aristocratia, Optimatum principalitas: qualis fuit principatus primorum & priorum Romanorum Consulum.
Politia, viz. Civilis Magistratus & politica potestas: quali, Cives liberi, iure regentes, &c. vtuntur.

Imperfecta tria. { Tyrannis, vbi Rex mandata sua, pro omni ratione, obtrudens, indignis modis Remp. affligit.
Oligarchia est paucorum vsurpatio: quales fuere quidem Senatores populares Romæ, ad errantes plebis affectus inflectentes; vt populi gratiam mererentur.
Anarchia est multitudinis & plebis improbæ ac temerariæ potestas.

Quum olim in Persia (Cambyse rege mortuo) consiliarij regij & primores (viz. *Darius*, *Megabizus*, *Ottanes* &c.) convenissent consulturi in comitijs de salute regni, de tribus potissimùm rebus inter consultandum (viz. prædictis perfectis imperijs) controversia incidit.

Perfecta tria. { Monarchia, firmissimis & optimis rationibus, (vt propiùs ad divinum & cœleste regnum accedens, &c.) à Dario præferebatur.
Aristocratia, gravissimis argumentis, & dulcissima suavitate orationis (vt diutissimè florens) a Megabizo anteponitur.
Politia Ottani maximè arridebat & placuit.

Imperfecta tria. { Tyrannis, Oligarchia, Anarchia. } { Hæc horrenda, violenta, & humanæ societati vt inimica rejiciuntur. Vnde illud *Tullij* insigne & excellens de Rep. malè constituta iudicium;

Tyrannidem { vnius, periculosam;
plurium, peiorem;
populi autem, pestem teterrimam Civitatis } esse dicit.

In Imperijs antiquis & multa ſecula permanentibus, viciſſitudines temporum omnia prædicta & perfecta & imperfecta imperandi genera manifeſta fecere. viz. *Roma*,

Roma,
- 1. Monarchia: viz. Reges, *Romulus, Numa Pompilius, Ancus Martius*, &c. qui regnarunt 243. annos.
- 2. Tyrannis: viz. Tyranni, *Tarquinius, Sylla, Cæſar*, &c.
- 1. Ariſtocratia optimatum poteſtas, quando primores & primi Conſules gubernarunt: viz. *Iunius Brutus, Tarquinius Collatinus, Servius Sulpitius, Manius, Tullius*, &c. qui præfuere 301. annos.
  Poſt eos etiam ſucceſſerunt *Furius Camillus, Paulus Emilius, Eabij, Metelli, Scipiones, Catones, Cicero* &c. omnes potentes bello & pace.
- 2. Oligarchia paucorum Senatorum vſurpatio: cuius incommoda ſenſit Roma, in eius periculoſo decemviratu; pernicioſiſſiméque apparuit, in illius ambitioſo tribunatu & triumviratu *Cæſaris, Craſſi* & *Pompey*: Poſtremò etiam in triumviratu *Octavij, Antony* & *Lepidi*. Vnde *Cicero* clamitat;

  Sint Magiſtratus ſucceſſivi: vt { diuturna poteſtate vnus non inſoleſcat; & plurimos ſpes provectuum conſoletur.

- 1. Politia civilis Magiſtratus: qui expulit decemviros; quia vnus eorum, viz. *Appius Claudius*, ſtuprum inferret cuidam *Virginiæ*, præclari Romani civis filiæ.
- 2. Anarchia plebis furétis & populi audaciſſimi dominatus: qui, *Antonio* ira cõmoto & inſtigato, *Ciceronem*, multóſque primores Romanorũ impiè & nefariè trucidarunt; eò quòd Senatus *Octavium Cæſarem* conſulatus honore exornarunt, Antoniúmque (ambitiosè imperium affectantem) prætereuntes repulerunt.

Hic popularis ſtatus inſtabilis eſt, citiſſiméque concidit, & in aliam tyrannidem facilè degenerat. Vnde illud;

Victoriæ populari proxima tyrannis.

Hæc ſingula adminiſtrationum genera, non ſolùm *Romani*, ſed etiam *Thebani, Spartani, Athenienſes* &c. (maximis florentes Imperijs) ſenſerunt.

Notandum est, quòd perrarò Resp. & perfectissima gubernãdi genera { absolutè simplicia, sed concinnè inter se composita } inveniuntur.

Mistura enim quædàm inter se voluntariè admittitur; adeò tamen mixta & temperata, vt in triplici forma (veluti Harmonia mira & iucunda) vnum consilium, vnam quasi mentem significet: Nomen tamen Resp. retinet, à parte digniore, cæteris imperante.

Animadvertendum etiam est, quòd rarissimè Resp. (Deo non protegente) firma aut constans diu reperitur.
Assimulatur enim naturæ fragili, mentíque hominum instabili (prædicto politico corpore de eisdem compacto) quæ variè huc atque illuc iactantur: nunc à parvis, ad magna efferuntur: nunc a magnis, in varia rerum discrimina dejiciuntur: in summis etiam & innumeris difficultatibus ac periculis, nunc morborum, nunc salutis (adusque vltimam vitæ periodum) fluctuantes, periclitatæ sunt. Vnde versiculus;

*Fluctibus vt Navis: sic mens subiecta periclis;*
*Nunc fruitura bonis, nunc peritura malis.*

In his tam magnis rebus, támque vasto periculorum pelago, divina auxilia sunt imploranda.
Excellens etiam ingenij solertia, & in consilijs optimis inveniendis celeritas & sapientia admiranda requiruntur.

Nimiùm cunctando, senescunt consilia.

Nullus Thesaurus principi & Reip. vtilior, quàm Consiliarij, virtute, prudentia, fide, & fortitudine, præstantes.
Grave regum consilium, nihil inexploratum, quod investigari voluit, efficit.
Multæ principis aures atque oculi esse debent.

Tria hominum genera in Rep. requiruntur;
1. Magistratus qui iustè regant: & hi a Platone homines aurei
2. Duces & milites, qui fortiter & fideliter defendant: hi argentei } appellantur.
3. Artifices, qui disciplinis & vtilibus artibus iuvent: & hi ænei

Respublica, bene instituta, constat Religione & Politicis legibus.
Resp. Civitas & familia æquè statim dissolventur, nisi legum vinculis astringantur.
Reip. cui legum constitutio vacillat, proxima tempestas naufragium affert: ergo ad leges transire decet.



De

# De Legibus.

*Cicero, de Lege*, definit Legem esse regulam certam a mente Dei proficiscentem, æquum & bonum persuadentem, malum prohibentem.
*Heraclitus* monet, non minùs oportere pugnare pro Legibus sanctis, quàm pro mœnibus: quia sine legibus patria incolumis esse non possit; absque mœnibus possit.
Vt corpus, sine mente; sic Civitas, sine Lege, suis partibus & neruis, sanguine & membris, vti non potest.

Leges oportet

- Sancire. Hîc circumspiciendum est
  - Quæ res vnicuique Reip. sunt maximè consentaneæ, & pariant { Commodum, vel conservationem; Damnum, vel devastationem. } { vtrùm sint } huic, vel alterius generis Reip. conducibiles & propriæ.
  - Nimia libertas vnumquodque imperium funditùs subuertit, & extinguit.
  - Libertas temperata, cuique, & Reip. salubris.
  - Quæ res, anteactis tẽporibus, { vtilitatem, incõmodum } { nostro, vel externorum } imperio, intulerunt.
- Abrogare
  - Omninò: vbi adversantur { Religioni, Politiæ. } Summa sit ea ratio, quæ pro Religione facit.
  - Parte: quum quædam mutanda sunt.
    - Si mutandum aliquid, paulatim mutandum, quod paulatim accreuit.
    - Subitæ mutationi mors proxima.
    - Prudentiæ est, in rebus difficilibus, aliquid ingenuè ingenio populi concedere.
- Interpretari. Hoc ad Iurisconsultos referendum est.
  - In exponendis Legibus, sanctitas & æquitas spectanda sunt:
  - Ne *Candida de nigris, & de candentibus atra.*
- Observare. Vide. Cc

Obser-

Cc Obseruare: cuius cura propriè conuenit

- Principibus, Consiliarijs, Iudicibus: } In quibus desiderantur.
  - Intellectus; ad sciendum
    - Quid æquum, & agendum:
    - Quid malum, & reprimendum:
    - Qui digni { mercede, pœna; } secundum { quãtitatem, qualitatem } facti.
  - Authoritas; ad
    - Puniendum sontes, & sceleratos:
    - Defendendum pios, atque bonos:
    - Illustrandum, titulis & ornamentis debitis, dignos.

Beneficium accipit, qui digno dat.
Sit virtus, ad dignitates, meritum summum.
Reip. salus præmio & pœna continetur.
Nihil magis regium, quàm virtuti debitum dare testimonium:
Atrocia autem scelera atrocibus pœnis puniantur.

- Magistratibus, in vnoquoq; Comitatu & Ciuitate. } A quibus requirũtur { Sedulitas, Diligẽtia: } quæ munitæ esse debent
  - Integritate, aduersus { Iram, Dona, Fauorẽ, Intercessiones. } Non vtimur aqua turbata, donec constiterit: multò minùs vtendum est animo commoto, priusquam ad se redierit. *Socra.*
  - Constantia, & Fortitudine, aduersus timorem { Inimicitiæ, Periculi.

Cavendum, ne rerum priuatarum respectus, publicis rebus noceant, & officiant.

*Integra Lex, æqui custos, verique magistra,*
*Non habet affectus: sed causas iure gubernat.*

Lex, cui non coniungitur pœna, et pœna, quam consequitur impunitatis spes, inutiles omninò sunt.
Æquum, ad iniquum (magistratu iusto non intercedente) sæpe transit.

Poteſtates & Magiſtratus delinquentes, { Exemplo magis, quàm vitijs, } nocent.

Vbi iudices & magiſtratus ſuis officijs, pro ſua imperiíque dignitate, egregiè & iuſtè perfunguntur, eam Remp. facilè florere, omnibúſque bonis affluere neceſſe eſt; populo applaudente & collaudante excellentem virtutis pulchritudinem, in ſuperioribus elucentem, ijſque ad imitandum propoſitam. *Cicero.*

Lex, æquum, exequutio, Magiſtratus dexteritas, patrimonium Reip.
Vbi Reſp. colit & adorat legem, ibi omnis fœlicitas.
Vbi lex ſubjicitur Reip. ibi omnis impietas.
Vbi lex a Rep. ejicitur ibi omnis confuſio & improbitas. } *Cicero.*

Pernicioſum eſt Reip. ſi leges ſanctæ, iuſtæque, non retineantur ſtabiles & immotæ: ac ſi cuique (ſtudio novitatis, & oſtentatione ingenij & eloquentiæ) ea quæ publicè vtilia, neceſſaria, & rectè conſtituta ſunt, evertenti, auditores ſtulti applaudant.

Ne evincat perſuaſio, quod confutavit actio.
Fumi-venduli procul a Rep. ſunto.
Vincat ſententia non nobilior, ſed melior.
Legis verboſæ lites plurimæ.

*Architas*, in Legibus ſanciendis, iubet ea primùm ſancienda eſſe, quæ deum ſpectant:
Deinde, quæ honeſta & egregia ſunt:
Poſtremò, vtilia.
Decere etiam ait (ſecundum virtutem) in animis potiùs, quàm in tabulis, cõtineri leges.

Per virtutes Cardinales, anima rectificatur in suis viribus.
Prudentia rectificat rationalem:
Fortitudo irascibilem:
Temperantia concupiscibilem:
Iustitia verò rectificat omnes vires, & circuit omnes virtutes. Vnde versus;

*Iustitia, in sese, virtutes continet omnes.*

Iustitia non est tantùm Virtus specialis, sed etiam generalis; totius animi rectitudinem, erga deum & proximum, continens: & dicitur rectitudo voluntatis.
Per Virtutes Cardinales, instruitur homo in omnibus bonis; & contra vitia armatur: vt inquit *Augustinus.*

Prudentia eligere
Fortitudo tolerare
Temperantia vti
Iustitia distribuere
} docet.

Prudentia, in præcavendis insidijs,
Fortitudo, in perferendis molestijs,
Tẽperãtia, in coercendis delectationibus pravis,
Iustitia, in subveniendis miserijs,
} consistit.

Prudentiæ est, scire quid possit.
Fortitudinis est, velle plurimum.
Temperantiæ est, non præsumere, quod non possit.
Iustitiæ est, velle in omnibus, quod æquum sit.

Istæ quatuor virtutes appellantur Cardinales; quia sicut ostium vertitur in cardine: sic in his vertitur & regitur vita hominis.
Vocantur etiam quandóque Politicæ: quia instituitur in his vita civilis, & hominem poliunt & ornant, regúntque vitam, quoad exteriora, & quatenus pugnant contra vitia.
Dicuntur etiam Humanæ: quia humano studio acquiruntur, nisi divinitùs infundantur.
Appellantur etiam Consuetudinales; quia non ex vno actu, sed ex consuetudine, nascuntur.
Hæ virtutes suos perfectionis gradus habent: secundum quos, aliter incipientibus, aliter, proficientibus, aliter perfectis } insunt.
Denique sicut Deus est divinum exemplar omnium rerum: ita istæ idęæ Virtutum in ipso consistunt; & ab illius divinitatis fonte, nobis emanant: vnde Exemplares dicuntur.

De

# De Prudentia.

Prudentia, in quantum est virtus Politica, dicitur norma rationis, lumen quoddam animis nostris præferens: quæ cogitat, quæcunque agit, sine errore præscribit, nihil præter decorum vult, vel facit. Vnde versus;

*Corrige præteritum, præsens rege, cerne futurum.*
*Hæc etenim sapiens vir tenuisse solet.*
*Rem tu præsentem videas, & cerne futurum.*

Prudentia, quatenus est virtus benè instituti animi, est sola divina noscere.

Prudentia Exemplaris est ipsa mens divina, cui omnia nuda sunt & aperta.

Partes Prudentiæ sunt tres: { Intelligentia, Providentia, Memoria.

{ Intelligentia est, per quam animus perspicit ea, quæ sunt.
{ Providentia autem virtus est (vt ait *Cicero*) per quam aliquod videtur futurum, antequam factum sit.
{ Memoria est, per quam repetit quis ea quæ fuerunt.

Prudentiæ munus est, gerere cæteras virtutes in actibus suis, secundum omnes partes

Philosophiæ Moralis: quæ sunt { Ethica, Oeconomica, Politica : } { 1. Mores, quoad hominem, instruit: 2. Familiam disponit : 3. Vrbes & regna regit.

Triplex est Prudentia.

1. Prima est cordis: & hæc est in dispositione præsentium, recognitione præteritorum, & prævisione futurorum.
*Deut.* 32. Vtinam saperent, scilicet præterita; & intelligerent, scilicet præsentia; & novissima providerent, scilicet futura.
2. Secunda est oris: & hæc in moderatione sermonum est.
*Pro.* 10. Qui moderatur labia sua, prudentissimus est.
3. Tertia est operis: & hæc consistit in fuga mali, & electione boni.
*Psal.* 33. Declina à malo: & fac bonum.

Notandum, quòd alia est Prudentia mundana, alia humana, alia divina.
Prima est in temporalibus acquirendis:
Secunda in commodo carnis:
Tertia in obsequijs divinis.

Officium Prudentiæ est, actus aliarum Virtutum dirigere; & secundum Virtutem omnia æstimare ac constituere. *Seneca.*
Denique, vt Navis vacua, instrumentis convenientibus: sic vita, Prudentiæ effectibus, munienda atque instruenda est. *Socrates.*

# De Fortitudine.

Fortitudo, in quantum est virtus Politica, est animum supra periculum agere, nihilque nisi turpia timere, adversa vel prospera fortiter tolerare.

Fortitudo purgati animi est, passiones ignorare, non metuere, vt nesciat irasci, & nihil cupiat inhonestum.

Fortitudo exemplaris est, esse immutabilis: quia semper eadem est, nec aliquando mutatur.

Partes Fortitudinis sunt quatuor: Magnificentia, Fiducia, Patientia, Perseverantia.

Magnificentia est magnarum & excelsarum rerum, cum ampla quadam animi propositione, cogitatio atque administratio.

Fiducia est virtus, per quam in magnis & honestis rebus ipse animus multum, cum certa spe fiduciæ, in se collocavit.

Patientia est (honestatis ac vtilitatis causa) rerum arduarum atque difficilium voluntaria ac diuturna perpessio.

Perseverantia est virtus, in ratione bene considerata, stabilis & permanens.

Multi sunt effectus Fortitudinis.

1. De hostibus triumphat: *Mac.* 5. & idem vir fortissimus
2. Homini sua bona conservat: *Luk.* 11. Cùm fortis armatus
3. Ditat: ——— *Pro.* 10. Manus fortis divitias parat.
4. Ornat. ——— *Pro.* 31. Fortitudo & decor indúmẽtũ eius.

Fortitudo consistit in quinque;

In aggressione arduorum:
In contemptu terrenorum:
In sustinentia tribulationum:
In resistentia tentationum:
In impugnatione vitiorum.

Multa sunt, quæ iuvant Fortitudinem.

1. Exhortatio Prudentium,
2. Exempla robustorum,
3. Exercitatio in pugnis,
4. Spes remunerationis.
5. Orationis adiutorium.

Vt Cervis frustrà sunt ingentia cornua, quũ desit animus: ita non satis est viribus, aliisque pollere, nisi Fortitudo accesserit. *Plutarch.*

De

# De Temperantia.

Temperantia politica(ſecundum *Macrobium*)eſt,nihil appetere pœnitendum,legem moderationis in nullo excedere,ſub iugo rationis cupiditatem domare.Vnde verſus;

*Viſne coronari?vis deliciis ſaturari?*
*Hoc tibi ſit præſtò dictum breve;Sobrius eſto.*

Temperantia purgati animi,eſt,terrenas cupiditates non ſolùm reprimere,ſed penitùs obliviſci.

Temperantia,prout eſt virtus exemplaris,eſt quædam in ſe,perpetua intentione, converſio.

Partes Temperantiæ ſunt tres: { Continentia, Clementia, Modeſtia.

Continentia(ſecundum *Tullium*)eſt virtus,per quam,cupiditas gubernatione conſilij regitur.

Clementia eſt virtus,per quam motus animi,in odium alicujus, temeritate concitati,comitate vel hilaritate retinentur.

Modeſtia eſt virtus,per quam pudor honeſtus claram & ſtabilem authoritatem comparat.

Sunt iterum Temperantiæ ſpecies tres: { Sobrietas, Abſtinentia, Modeſtia.

Prima conſiſtit in guſtu:cui imponit modum Sobrietas.

Secunda verſatur circa tactum:in quo,ponit modum Abſtinentia & Caſtitas.

Tertia conſiſtit in dictis & factis.

Factum autem,prout hîc accipitur,pertinet ad tres ſenſus, circa proprias eorum materias; { Viſum, Auditum, Olfactum.

Pertinet etiam hoc factum ad tactum, non ſolùm in generativis,ſed ad alios quorum organa ſunt manus ad percutiendum vel capiendum,& pedes ad ambulandum. In omnibus iſtis,modum ponit Modeſtia.

Dignitas Temperantiæ in his duobus ſpectatur;

1.Naturam conſervat:quia Natura medijs delectatur, & per extrema corrumpitur.

*Tene medium,ſi non vis perdere modum.*
*Medium tenuere beati*:Bernardus *ait*,

2.Animum decorat.Sicut enim,in naturis,forma eſt decentior materia:ſic & in moribus plùs commendatur modus,quàm ipſa actio .Vnde illud tritum dictum;Verbis non meremur,ſed adverbijs: id eſt,non in eo quod aliquid dicimus vel facimus,ſed in eo quod *bene* dicimus & facimus. Exemplo patet in illa vidua, quæ,offerens duo minuta,magis a domino commendatur,quàm qui magna dona miſerunt in Gazophylacium.

Temperantia comparatur Soli:qui medius Planetarum eſt,& decentior inter omnes.

*Socrates*,Temperantem,& rebus ſuis contentum animi habitum,ſimilem eſſe dicebat viæ brevi,& amœnæ. Multum enim gratiæ, & parum laboris habet.

De

Iam tempus poſtulat, vt Iuſtitiæ politicæ ſancta penetralia ingrediamur: cuius eſt ſervare vnicuique quod ſuum eſt: vbi etiam æqui ſemper ac probi facti reſpectus, religioſa cum obſervatione, verſatur; nihilque vtile, quod parùm honeſtum videri poſſit, dicitur.

Iuſtitiæ purgati animi eſt, ita cum ſuperna mente ſociari, vt ſervet cum ea fœdus perpetuum, imitando.

Iuſtitiæ Exemplaris eſt, perenni lege, à ſempiterna operis ſui continuatione, non flecti.

Partes Iuſtitiæ ſunt ſex, 1. Religio, 2. Pietas, 3. Gratia, 4. Vindicatio, 5. Obſervantia, 6. Veritas. His commodè adiungenda videtur Miſericordia, gratiſſima deo Virtus: quæ non ſolum miſerebitur, ſed ſuccurret etiam miſerijs & alterius rebus adverſis.

1. Religio eſt virtus ſuperioris cuiuſdam naturæ, quam divinam vocant, curam, ceremoniámque affert.

2. Pietas eſt, vbi coniunctis ſanguine & benevolentia, officium & diligens tribuitur cultus.

3. Gratia eſt, in qua, amicitiarum & officiorum alterius memoria, & remunerandi voluntas, continentur.

3. Vindicatio eſt virtus, per quam, vis & iniuria, & omne quod obſcurum eſt, defendendo atque vlciſcendo, propulſatur.

5. Obſervantia eſt virtus, per quam, homines, aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam & honore dignantur.

6. Veritas eſt virtus, per quam, immutata ea, quæ ſunt aut fuerunt, aut futura ſunt, dicuntur.

Notandum eſt, quòd Iuſtitia non tam eſt virtus ſpecialis, quam generalis: vt ſuprà in Cardinalibus virtutibus dicitur.

Iuſtitia autem perverti tripliciter poteſt.

1. Amore perſonæ, vel pecuniæ. *Iſa.* 5. Væ qui impium iuſtificatis, pro munere.

2. Timore. *Mat.* 10. Noli timere eos, qui occidunt corpus, &c.

3. Invidia. *Mar.* 15. Scientes, quòd per malitiam tradidiſſent eum.

Multa nos trahunt ad iuſtitiam: viz.

Scriptura. *Eccleſ.* 4. Vſque ad mortem, certa pro iuſtitia.

Naturalis noſtra inclinatio. *Auguſtinus*: Natulariter, Iuſtitia eſt in corde hominis.

Bruta etiam animalia monent ad Iuſtitiã, per eorum concordiam & innocẽtiam.

Multi ſunt effectus & beatitudines Iuſtitiæ.

*Mat.* 5. Beati qui eſuriunt & ſitiunt Iuſtitiam.

*Pet.* 3. Si quid patiamini, propter Iuſtitiam, beati.

*Eccle.* 4. Qui operatur Iuſtitiam exaltabitur, & beatus eſt.

*Pro.* 10. A morte æterna, liberat Iuſtitia.

Remunerat. *Pſal.* 17. Rettribuet mihi dominus, ſecundum Iuſtitiam meam.

Coronat. *Tim.* 2. Repoſita eſt mihi corona Iuſtitiæ.

Denique Iuſtitia, firmamentum Reip. vita & regina virtutum omnium, dicitur.

Sol eſt iucundiſſimus ijs, qui cum poſſunt intueri: Ita princeps ijs, qui amant Iuſtitiam.

Bellum est vel { offensivum, defensivum.

In offensivo Bello, consideratio est vel

- Generalis: vbi respicere debemus
  - Genus. Est enim vel { necessarium, non necessarium.
  - Momentum. Nam est vel { periculosum, non periculosum.
  - Hîc etiam { Loca, Modi, Tempora } considerandæ sunt.
- Regulæ.
  - Cognoscere occasionem, & apprehendere, vtilitas incognita.
  - Vis, consilij expers, mole ruit sua.
  - Parva forìs sunt arma, domi nisi consilium sit.
  - Nemo, fiducia propriæ sapientiæ aut potentiæ, res periculosas & non necessarias suscipiat.
    - Nam Deus subito momento summam rerum gloriam evertere potest.
    - Celebris, inter cætera, est *Cræsi* historia: qui, errore consilij, & confidentia propriæ potentiæ, bellum non necessarium temerè adversus Cyrum movens, tristissimas calamitates sibi & toti regno accersivit. Vnde versus;

      *Omnia sunt hominum tenui pendencia filo:*
      *Et, subito casu, quæ valuere, ruunt.*
      Irus *& est subitò, qui modò* Crœsus *erat.*
  - Præsentia retinenda: nec temerè, propter incerta & aliena, ea in discrimen adducenda, quæ certa sunt.
    - *Feceris haud quidquam, nisi quod feciſſe necesse est.*
    - *Quámque dedit, norma est vna sequenda, Deus.*
  - Principi interdum pugnandum est, non quia velit, sed quia cogat hostis.
  - Iure etiam Gentium compertum est, vt arma armis propulsentur.
  - Principi etiam plerunque, maximo damno dedecoríque, est futuri belli dilatio. *Liv.*
- Particularis: vide posteà.
  - Consilio autem omnia prìùs experiri, quàm armis, sapientem decet.
  - Et, si non possit evitari bellum, quia in omnes periculum intenditur, prudenter adeundum est, fortitérque propulsandum: & diligens præparatio, pacis tempore, cogitanda & adhibenda est.

In generali consideratione, videndum est

- Qui Duces sunt { instituendi, removendi.
- Qui Thesauri { victus, commeatus } sunt necessarij: vnde haberi possint { certò, citissimè.
- Quàm numerosum exercitum nos aut inimici
  - Quantitate { habemus, { conquirere { domi, foris. / possimus { sustinere { mox, in præsenti, futuro tempore.
  - Qualitate, per { mare, viz. navalia præsidia. / Terras: { pedites, equites: } quæ genera amborum.
- Qui bellici apparatus sunt necessarij: viz.
  - Arma { Tela, armatura, sive panoplia.
  - Equi,
  - Machinæ,
  - Vehicula,
  - Gestamina
  - Tormenta,
  - Globuli ferrei,
  - Pulvis pyrius,
  - Aliæ Machinç.
- Qui loci idonei ad belligerandum: Quæ tempora apta, & opportuna.

Belli sũt tres nervi: { Aurum, Manus, Ferrum.

Equites ac pedites, armati, Manus & crura ducis appellantur: Sed thesauris indigens Dux, dicitur non habere ventrem. } *Plutarch.*

Milites in officio continendi sunt; &, vt meliùs illis imperari possit, suo tempore stipendia solvenda sunt.



Par-

Proditiones, Machinationes clanculoſas, ſuſurros occultos, inſidias, ſtratagemata &c.
Itinera militum, in prælia prodcuntium.
Loca non iniqua, ſed accommoda ad { Pugnandum, / Decertandum, / Hybernandũ. } { Loci opportunitas, plùs quàm fortitudo, ſæpe valet. *Cæſar.*
Tempora opportuna { Incundi bellum, / Abſtinendi à prælio, / Progrediendi, / Regrediendi, / Siſtendi gradum, } { Nocte, vel die: / Mox, vel alio tempore. / Parcendi ſubactis hoſtibus, vel ſæviendi in eos.
Qui nimis facilè victis ignoſcunt, plures ob id ipſum, ad experiendam adverſus ipſos fortunam belli, incitant.
Eluxit autem in *Pauſania*, Spartanorum Duce, non modo bellica Virtus, & fortitudo, verùm etiam modeſtia, & caſti pudoris decus: qui, poſt victoriam ad Platæas partam, omnium pulcherrimo victoriæ genere ſeipſum vicit; & abſtinens à captiva *Coa* tuetur. Et cum ſumma Moderationis & Humanitatis laude non ſævit in cadavera hoſtium interfectorum: ſed ſatis ſibi eſſe ait, ſi, iuſta faciens & dicens, ſuis Spartanis placeret.
Hîc permagna & excelſa de noſtris Heroibus, militaris virtutis veris effigiebus, ſummæ Clementiæ vivis ſimulachris, commemorare poſſimus.
Qua parte, petendus ſit hoſtis: à { fronte, / tergo, / duabus alis, &c
Quomodò bellum gerendum ſit: per { Prælia campeſtria, in campo aperto; vel aſtutè & per inſidias. / Defenſiones propugnaculorum; vel per eruptiones à caſtris & oppidis. / Aciem integram, vel levibus velitationibus & propugnaculis. / Devaſtationem agrorum, vel per obſidiones Civitatum. / Pericula facienda cum toto exercitu, in vno bello ſtatuto; vel per plura prælia ſpatioſa.
Quomodò { Tota acies & exercitus adminiſtrandi & diſponendi ſunt, quum internecinum & teterrimum bellum capeſſendum expediendúmque ſit.
Quæ loca præſidijs recipiendis ſunt maximè accommoda, & quæ parùm idonea.
Qui Duces, Cohortes particulares & ſtrategias habebunt.
A quibus Commeatum & victum comparemus. —— Qui victu & commeatu caret, fame non ferro perit.
Quomodò victoria parta vti oportet.
Quomodò noſtri, ſubacti bello, erigendi, & animo confirmandi ſunt.

Particularis conſideratio reſtat in prudentia & militari peritia Ducis: qui circumſpicere & prævidere debet

Quomodò { Patria, Civitas } Munita est, { Natura, { terra, mari, } — { rupibus, montibus, sylvis, paludibus. } Arte, { Portibus, Castris, Propugnaculis, Fossis. } } Muniri possit, — { novis portibus, arcibus, munitionibus, vallis & fossis. }

In defensivo bello,

Sciendum est

Quæ necessaria & cuiusmodi } sunt præsidia { Nostrorum, Externorum: } quia si { deficiant, necessum est vt augeantur; superabundent, diminuantur.

Quæ loca { hosti, ad nos oppugnandos; nobis, ad nosmet defendendos: } vt { Loca fortia relinquamus; Loca periculosa muniamus. } Sit ea pars Civitatis potentior, cui omnia tranquilla esse maximè expedit.

Hosté facilius est ab ingressu, quàm intromissum pellere.

Considerandum est { Quæ bella multis abhinc annis gesta, Quomodò tractata, Quibus de causis orta, Quomodò finita, } fuere, in { nostra patria, alijs locis. } Ne geratur bellum diuturnum, quamvis cum hoste inexperto.

De similibus, similia iudicare, facillimum est:

Qui autem vetera ac si illustria sectatur exempla, sine observatione particulari, graviter aliquando errabit.

Videndũ est { Quot, & Quales } Amicos in auxilium vocare possumus; ne temerè potentiores instigemus.

Potentiorum iniurijs occurrendum, non temerè vlciscendo; sed cavendo graviora.

Festinatio improvida & cœca, infœlix est: cunctatio autem, inhibens errantes animi impetus, magnas vtilitates adfert: quas etiamsi in præsentia non statim apparent; tamen, suo tempore, aliquis certò comperiat.

Denique cavendum, Ne in finiendo bello, vel succurrendo alijs, bellum sic extinguatur apud exteros, vt accendatur apud nos.

# De Pace.

Firmiſſimum fœdus, Pax, & amicitia, eſt, quæ virtutis opinione, morum ſimilitudine, & religionis conſenſu comparatur.
Optimum fœdus eſt, rectè agere. Talibus enim, Deum ipſum confœdetatum eſſe, ait *Iſocrates*.

Pax eſt aut
- Concilianda: Hîc conditiones debemus
  - Offerre: vbi cura adhibenda eſt
    - Temporis. Nam quandóque illæ conditiones (tempore opportuno) gratè & libenter accipientur, quæ poſteà habeantur ſuſpectæ, & rejiciantur.
    - Rationum, quibus perſuaſum ſit adverſarijs, noſtras pacis conditiones oblatas accipere.
    - Perſonarum, pacem agentium. Sæpiſſimè enim accidit, quòd eæ ipſæ induciæ firmatæ vel reiectæ ſunt, ratione diſcriminis perſonarum cauſam agentium.
    - Conditionum ipſarũ: ne videantur { Periculoſæ, Difficiles, Intolerabiles, Turpes. } Conſilia callida & audacia, prima ſpecie læta, tractatu dura, eventu triſtia ſunt. *Licydæ* & *Circili* iniquæ conditiones & conſilia fugienda. *Herodot.* Quædam remedia ſunt ipſo morbo triſtiora: vt ſatiùs ſit mortem oppetere, quàm his aucupari ſalutem.
  - Accipere: vbi conſiderãdum eſt
    - Quibus de cauſis adverſarij noſtri, ad fœdera pacis nobiſcum ferienda, adducuntur; vtrùm { voluntariè, vel neceſſitate impulſi.
    - Quæ præſidia { nobis, vel inimicis } ſuppetunt ad bella gerẽda.
    - Quomodò affecti ſunt milites.
    - Quænam genera conditionum ſunt. Nam ſi æquitatẽ & honeſtatem præ ſe ferant, cavendum eſt, ne, eas repudiando, videamur
      - Obſtinati, vel duræ cervicis: vt *Iudæi*, in *Ieroſolymæ* obſidione, fuere.
      - Superbi, & elati: vt *Pompeius* &c. in contemnendis *Iulij Cæſaris* pacis inducijs: qui (*Cicerone* æquiſſimas pacis conditiones adducente) exercitum dimittere vellet: *Pompeius* autem eum vt inimicum apolactizavit; ſed poſteà adverſo Marte perijt: in quo etiam bello, ducenta hominum millia cecidêre.
      - *Philo* monet, ſatiùs eſſe pacem, etiamſi parùm commodam & æquam, ferre, quàm bellum cum immenſis malis ſuſcipere.

        *Pax plenum virtutis opus, pax ſumma laboris.*
        *Pax belli exacti pretium eſt, pretiúmque pericli.*
        *Dormiet illæſus melius, quam verbere cæſus.*

      - Fibri pontici ſibi ipſis genitalia amputant mẽbra, in venatu; quũ ob hoc ſe peti intelligãt: Ita prudentis eſt, aliquando abijcere rem, ob quam periclitatur. *Plin.*
- Conſervanda. vide pag. proximè ſequẽtem


Pax conservatur; evitando offendicula & inimicitias, cum
Exteris
finitimis,
procul habitantibus:
Qui amant nos,
Qui invidét nobis
Qui mediocriter sese erga nos gerũt
Hîc videndũ est
cum quibus debemus
Fœdera inire,
Amicitiam conservare,
Gratiam & benevolentiam vel
facto ostendere,
solo verbo simulatè agere,
Per quem,
Quàm apertè,
Quã occultè,
Quàm diù.
Quibus officijs possimus
mitigare offẽsos,
confirmare dubios,
persuadere suspicios.
Domesticis: quę oriri possunt incuria, & defectu
Institutionum, quæ minimè respiciunt adolescentium educationem. Maximè enim considerandum est
Quæ doctrina debet
doceri in Rep.
expelli a Rep.
Quæ studia vnicuique ætati conveniunt ad
decorandum,
animum,
Divinitate,
Morali Philosophia,
Historijs &c.
excitandum
Robur,
agilitatẽ,
salutem
corporis.
Quantũ tẽporis in doctrina &c. cõterẽdũ est.
Sapientiæ fundamentum, educatio bona dicitur.
Duæ res præcipuè omnia hominum sanorum consilia & actiones, in Rep. & vita privata, regunt:
viz.
Doctrina, seu præcepta, in verbo dei, in Philosophia, & legibus honestis, proposita.
Exempla consiliorum, & eventuum ac pœnarum: quæ conspectiora sunt, efficaciúsque animos rudiorum movent & percellunt.
Historia enim sapienrer scripta (vt ait Cicero) est vitæ magistra, testis temporum, lux veritatis, nuncia vetustatis, & à Thucidide dicitur pictura & theatrum totius vitæ humanæ, ad omnia huius mundi tempora congruens: in quo, vt natura hominum eadem manet; sic ingenia, mores, negotia, occasiones, consilia, eventus, errata, etiam plerunque flagitia eadem perpetuò durant.
Personæ tantùm, & Actores Historiæ, singulis ætatibus, novi succedunt; &, mutatis nominibus, quasi de nobis fabulæ nunc narrantur.
Constitutionũ. Vide posteà.

Consti-

Constitutionum Magistratus. { Quot, Quales } Magistratus Reip. desunt, } Qui digni & apti vnicuique loco: vt hi ad Magistratum invitentur; ne maligni alijs convitientur: iuxta illud Poetæ;

*Proh pudor! ignari Sophiæ, crassique cerebri,*
*Doctrinæ osores (quibus est sola alea curæ,*
*Aut nutrire canes & equos, volucresque rapaces,*
*Continuisque iocis puerilem ducere vitam)*
*Sceptra tenent, populo præsunt, vrbésq; gubernãt.*
*Hinc mille errorum scabies, tot stultitiarum*
*Colluvies: hinc & tot millia flagitiorum.*

Munerum & præmiorum vnicuique bene merenti: vtrùm sint { 1 Nobiles, Ignobiles: / 2 Milites, Pacifici: / 3 Eruditi, Illiterati: / 4 Magistratus Privati: / 5 Clerici, Laici. } Non enim bene se res habet, si

Boni { Quasi tenebris circumfusis obscurentur, & postponantur. / Nulla dignitatis laude exornentur: / Operosè, languidè, & frigidè præferantur.

Vbi pauci candidati, status in periculo.
Præmijs & titulis, splendida ingenia, ad virtutis studium, acriori animi impetu, concitantur.
Nulli hominum ordini, præcludatur, ad quamcunq; dignitatem (præter regiam) spes.
Detur nobiliori dignitas illustrior, pauperiori lucrosior, cæteris paribus.

Mali honoribus decorentur: vt { Susurrones, Scurræ, Sycophãtæ, Turpes, Adulatores, &c. }

Qui immerenti plus tribuit, & merito minus, iniquus est & iniustus.
Benefacta malè locata, malefacta putantur, *Ennius*.

Pœna improbi & facinorosi coerceantur.

Remedia

Remedia cogitanda & adhibenda ſunt Reip. morbis & vitijs:

- Ambitioni: qui morbus latè ſpargitur, indieſque creſcit.
- Avaritiæ & ſuperbiæ { Magnatum, Magiſtratuũ. } { Incertum eſt quid veſper ferat: ergo non ſuperbiendum in rebus ſecundis. / Superbiam iracundi oderunt, ſapientes irrident.
- Naufragio divitiarum; præcipuè eorum qui ære alieno obſtricti ſunt.
- Egeſtati & inopiæ aliorum. Permulti enim, indigentia ſuppreſſi, deſperatè Remp. deprædarunt.

Impunitas delinquentium, & iniurioſorum hominum, contemptum legis parit.

Iniuriæ oblatæ ſunt

- Inferioribus, à ſuperioribus: viz.
  - Plebeijs, à nobilibus, } Indè legimus in Romano Imperio Reges expulſos, & Reip. ſtatum variè correptum, & commutatum } fuiſſe.
  - Privatis, à Magiſtratibus. } Indè etiam, in *Helvetia* Magiſtratus & nobiles fugati fuere; & popularis ſtatus conſtitutus.
- Paribus, à paribus: viz.
  - Magiſtratibus, à Magiſtratibus: { Indè ſæpiùs bella inteſtina orta, Imperia convulſa & lacerata } fuere. Syllana & Mariana tempora luctuoſa Reip. Romanæ.
  - Ab vno priuato alteri:
    - Ex feſtuca incenſa, aut lucerna neglecta domi, nonnunquam conflagrat vrbs totæ: ſic, ex priuatis odijs ac diſſidijs publica pernicies quandóque oritur.
    - Inteſtina ſeditio tantò nocentior bello (quòd conſentientibus animis adverſus externos geritur) quantò bellum peius eſt Pace.
    - Certare oportet, omni tempore, non priuatis ſimultatibus & odijs; ſed vter omnium meliùs de principe & patria mereri, & plura in eam beneficia conferre, poſſit. *Ariſtides Themiſtocli:*
    - Omnia domi, conſilio, & pacis artibus, conſtituenda & regenda ſunt. Diſcordia ordinum, Civitatis venenum eſt.
    - Superiorum ambitio, Parium invidia, Inferiorum ſuſpicio } cavenda ſunt.
    - Subduc materiam, extinguetur ignis: ſubduc occaſionem, conquieſcet odium, ſive Invidia.
    - Amicitiæ immortales; Inimicitiæ mortales eſſe debent.

# De Commeatu, & præparationibus necessarijs ad alimoniam Reip.

- In præparatione Commeatus, & victus necessarij ad sustentandam Remp. &c. debemus
  - Considerare omnia,
    - In eorum generibus. Nam vel { ab exteris regionibus, nobis administrãtur: / sunt domi, & in nostra patria crescentia.
    - In eorum Quantitate: vt indè consultetur
      - Quantum Reip. opus erit, tempore { Belli, / Pacis.
      - Quantum superabundabit transportandum, { quibus, / quando, / quomodò
      - Quantum distribuendum vnicuique est, in { bello, / pace.
  - Cavere, ne, per malitiam & invidiam quorundam,
    - Nostra Resp. sit destituta, & afflicta { illicitis transportationibus, / monopolijs domi.
    - Nostri amici, inopia laborantes, non sint saturati & refecti.
    - Nostri inimici, nostris beneficijs & commodis, liberè perfruantur.

Hinc multorum lachrymæ: ideóque cura maxima hîc adhibenda est.

Non enim satis est, leges & edicta de Pietate, Charitate, Cupiditatibus & sumptibus moderãdis, nobis proposita habere; sed (avaritia, & libidinibus cæcis repressis) moderatiùs & religiosiùs in patriam & proximos agere decet. Nam non verba, sed facta, legibus sanctis congruere debent. Conspectus etiam, & ferè sensus tristissimarum calamitatum, longa tela & ingens moles bellorum, fames, pestes, seditiones & intestinæ cædes, quæ plurimos per annos in vicinas regiones grassatæ fuere, movere nos oporterẽt, iram dei & pœnas similes fortassis nobis imminentes pœnitentia vera, pietate, et totius vitæ obedientia, in posterum arcere.

*Iuvat evasisse tot vrbes*
*Argolicas, mediámque viam tenuisse per hostes.*

Meminisse etiam oportet, quòd mors omnibus impendet, calcandaque semel est via lethi.
Opes ergo eiusmodi parandæ, quæ (nave fracta) simul cum domino enatare queant.
Nihil est tetrius, nihil odiosius, nihil magis divinis placitis alienum, quàm crimen avaritiæ & crudelis immanitatis.
Maledictus dispensator avarus, cuius largus est dominus. *Bernardus.*

Vt, in argento vivo, omnia natant, excepto auro; nam hoc vnum ad se trahit: ita nihil incidit in animum avari, præter lucrum. Charitas, Pietas, & Probitas in summo fluitant: non descendunt in pectus.
Polypus, stupidum alioquin animal, in captandis conchis incredibili vtitur solertia: ita quidam, ad solum quæstum, summè sapiunt; alibi pecudes meræ. Damnatus de Avaritia, Invidia, & Impietate, ab omni munere Reip. excludatur.


A
Perſuadente, in Quæſtione
Simplici, vrgendum eſt, hoc eſse
Poſſibile, Facile:
Honeſtum, Religioſum:
Laudabile, Honorabile:
Vtile, Neceſſarium:
Tutum, Iucundum.
Comparativa:
magis Poſſibile,
magis Facile,
magis Honeſtũ,
& cætera
10, vt ſupra.
Diſſuadente, in Quæſtione
Simplici, vrgendum eſt, hoc eſse
Impoſſibile,
Difficile,
Inhoneſtum,
Irreligioſum,
Illaudabile,
Ignobile,
Invtile,
Non neceſsarium,
Periculoſum,
Iniucundum.
Comparativa:
Magis impoſſibile,
Magis Difficile,
Magis Irreligioſum,
Magis Turpe,
& cætera
10.

# De Methodo, quæ in ſuadendo & diſputando obſervanda eſt.




Hic

Hîc etiam notandum eſt, quòd argumẽta ſumpta ſunt à Locis

- Rhetorũ: quæ vocantur attributa
  - Perſonarum: vbi
    - Comprehenduntur { nomen, natura } hominis.
    - Referuntur — Natio, Patria, Cognatio, Genus, Sexus, Ætas, Commoda { corporis, fortunæ, } Incõmoda { corporis, fortunæ. }
      *Herodotus* monet, naturas & mores hominum, regionum & locorum naturas, in quibus nati ſunt, quandóque imitari.
  - Vitæ: vbi conſiderantur
    - Alumni, & Adiutores,
    - Pædagogi & Inſtitutores,
    - Amici, Servi,
    - Profeſſio,
    - Sors, Status.
  - Habitus { Corporis, Animi.
  - Studiorum, & Conſiliorum,
  - Accidentium, quæ illis contigêrũt:
  - Colloquiorũ, & ſermonũ crebrorũ:
  - Actionum,
  - Rerum: quarum numerantur { Tempus, locus, Factum, materia, Cauſa, Potentia, Inſtrumenta, & modus agendi.
- Dialecticorum; ſecundum *Ramum* videlicet: à
  - Cauſis,
  - Effectis,
  - Subiectis,
  - Adiunctis,
  - Diſſentaneis,
  - Comparatis,
  - Nomine,
  - Diſtributione,
  - Definitione,
  - Teſtimonio.

Iam

IAM verò methodus atque ordo requirit, vt quæ à sacris est orsa, cũ sanctis et diuinis terminata foret hæc mea Epitome. Placeat ergo vt paucula, de tribus Theologicis virtutibus, in genere explicentur.

Anima nostra, quantũ ad superiorem partẽ, in qua consistit imago dei, necesse est, vt rectificetur per tres virtutes Theologicas: { Fidem, Spem, Charitatem,

Fides (secundũ Apostolũ) dicitur substantia vel fundamentũ sperandarũ rerum per gratiam, et argumentum non apparentium, inclinans intellectũ ad credendum ea quæ non apparent. Perexcellens est hæc fidei descriptio, ab Effectis; quòd res, adhuc in spe positas, representet, et invisibilia quasi oculis subjiciat.
Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis, ex sola dei gratia proueniens.
Charitas (secundũ Apostolum) dicitur dilectio divina, et recta voluntas, ab omnibus terrenis et præsentibus prorsus aversa, iuncta deo inseparabiliter et vnita, igne quodam spiritus sancti (a quo est, et ad quẽ refertur) incensa, inquinamenti omnis extranea, corrumpi nescia, diuinæ contemplationis avida, vita virtutum, et finis cælestiũ præceptorum omnium habetur.

{ Fides dirigit, in summè verum credendo:
Spes, in summè arduum imitando, & expectando:
Charitas autem, in summè bonum desiderando, & amãdo.

Habent hæ virtutes suos proprios actus. { Fides, deo assentire, / Spes, deo confidere, / charitas, deum diligere } facit.

Diuersis modis etiam operantur, ratione obiecti. { Fides, circa verum, / Spes, circa arduum, / Charitas, circa bonum, } versatur.

Postremò, differunt ratione effectus. { Fides, in præsenti, Deum sequitur:
Spes, in cœlum comitatur:
Charitas deum Opt. Max. perenniter amplectitur.

Indè liquet, quòd inter istas tres Virtutes, maxima habetur Charitas: vtpote (secundum Apostolum) quæ in futura vita nõ aboleatur, vt aliæ; sed perficiatur. Quia, cùm Fides et spes in res promissas & futuras feratur, illas presentes nos adepti, quorsũ fidem et Spem haberemus? At illic omninò et nos deum et deus nos verè et perfectè mutuò amabimus.
Denique sicuti Deus, in cœlo, pulcherimũ ac mundissimũ sui simulacrum, constituit solẽ: sic in Rep. Principẽ; qui tũ Theologicis tũ Cardinalibus Virtutibus (viz. Temperantia, Iustitia, et Benignitate) se erga omnes, rep[illegible].

FINIS.